



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.1. Angelorum casus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

CAPUT TERTIUM.

Orationum momenta, quae spectant peccatum, eiusque poenas.

Addamus postremum è tribus caput, quod duobus primis hoc fortè potentius futurum est, quò magis sensibus obnoxium. Ex effectis ipsis sumitur. Scenas hinc dabo, & tragœdias horrendas.

§. 1. *Angelorum casus.*

Ecce in ipso proscenio mundi, inter altissimas nubes, videntur Angelicum illum pavonem? quàm nobili incessu quondam! quàm rutilantibus pennis! nimirum Angelorum omnium gratiâ, decore, potentiâ, ingenio, scientiâ, naturâ facilè principem. En fortuna: do nunc casum. Admittitur cogitatio superba. Consentitur. O cæli vices! Ruit, ruit sidus illud antiquum, atque à summo vertice non in terram, non in mare dejectus; sed inter flammâs perennes ergastulo addicitur inferorum, ex Angelo dæmon, ex felicissimo miserrimus. O catastrophen! ô exitum terribilem! Quæ causa fuit? cogitatio una, unius momenti. O cogitata cogitationem istam, & ab una disce omnes. *Mensura Angeli, mensura hominis.* Olim cædebat canis, ut paveret leo: hinc cæditur

DE TIMORE DOMINI. 25

ditur leo, ut paveſcat canis. nam ſi tale ſcrutinium eſt in Hieruſalem; (cum Hieronymo loquor) quale futurum eſt in Babilone ?

§. 2. *Adami ruina.*

Permuto ſcenam. Viridarium propono roſis, myrtetis, deliciis, ſomno pleniffimum. Nondum ſteriles avenæ, nec infelix paliurus apparebat; æterni flores, ver perpetuum, pax ſumma. Hæc ſcena. Sed vide cœnam longè infeliciffimam. Pomum comeditur. Quid exinde ? heu me ! Ille hominum caput, mundi, cæli, terrarum, elementorum, tempeſtarum, belluarum, piſcium, avium, ferarum, & quod caput eſt, ſui Rex : ille prudentiffimus, ſapientiffimus, beatiffimus, in quantas ſervitutes cladesque venit ? omnium pila malorum ; ludibrium fortunæ, mancipium ſui. Nimirum ab uno malo ad omnia mala itum eſt. Numera plagas rixasque terrarû, maris & cæli jurgia, grandines, procellas, frigora, ſterilitates, annonas graves, incendia, diluvia, vaſtitates. Numera peſſimi omnium ſervorum (corporis noſtri dico] perduelliones, defectiones, morbos, febres, contagia, lethiferos ſudores, quot denique mortes ? numera peſtes animi, iras, livores, odia, ſimultates, ægritudines, atque

B

hinc